



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXV. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

PSAL. CXV. *Non nobis Domine, non
nobis, sed nomini tuo, &c. Carm. gen. 2.*

TE magne rector orbis, haud uictoriam
Ex hoste saeuo poscimus,
Nos ut per omnes fama gentes differat,
Nec apparatu ut splendido
Per ora uulgi nos triumphus aureo
Curru superbos transferat:
Sed impiorum ut saecla gentium sciant
Te largum opis cultoribus
Tuis, fideq; semper immutabili
Promissa promptum soluere.
Ne forte rebus insolentes prosperis,
Vbi nunc Deus uester rogent.
Deus astra noster incolens, mortalium
Nutu suo res temperat.
At impiarum finxit error gentium
Manu deos inutiles:
Aurum caninis excoquens, aut malleis
Massa e sequaci bracteas
Ducens, figura multiformi ludicra
Affixit aris numina.
Inane uocis os habent: oculos habent,
Orbes inanes luminis.
Naribus odores nec trahunt, nec auribus
Surdus sonores hauriunt:
Palpare manibus non queunt, torpentibus
Nec ingredi uestigijs.

Nec

Nec uox anhelis edita è pulmonibus,
Cauo recurrit gutture.
Quicumq3 tales fingit aut colit deos,
Dijs ipse similis fit suis.
At tu Iacobi gens, loca fiduciam
Omnem salutis in Deo,
Qui te potenti subleuabit dextera,
Et in periculis proteget.
Et uos Aronis posterum, spem ponite
Omnem salutis in Deo,
Qui uos potenti subleuabit dextera,
Et in periculis proteget:
Quicumq3 cultor es Dei, fiduciam
Loca salutis in Deo,
Qui te potenti subleuabit dextera,
Et in periculis proteget:
Qui nos fauore semper amplexus memor
Fouit fouetq3 sedulo:
Cunctos Iacobi qui fouebit posteros,
Aronis & sacrum genus.
Qui se colentes siue iuuenes, seu senes,
Fouebit & custodiet,
Qui nosq3 donis semper augebit nouis,
Et liberorum liberos.
Nam nos profanis segregauit gentibus,
Cæli soli q3 conditor.
Cælum sibi ipse regiam fecit, solum
Sedem dedit mortalibus.
Remunerantes muneribus illum ut suis
Rerum parentem agnoscerent.
Neq3 ora laudes in tuas soluent, pater,

Quos mors teget silentio.
 Nos te parentem agnoscimus, qui spiritu
 Vitalis auræ uescimur.
 Te prosequemur laudibus, dum lucido
 Sol axe terras ambiat.

PSAL. CXVI. *Dilexi, quoniam exaudivit
 Dominus uocem orationis meæ, &c.*
Carm. gen. 10.

TOto pectore diligam
 Vnicè & Dominum colam,
 Qui lenis mihi supplici
 Non duram appulit aurem.
 Aurem qui mihi supplici
 Non duram dedit: hunc ego,
 Donec pectora spiritus
 Pullet, semper amabo.
 Iam mors ante oculos erat,
 Iam stabam super aggerem
 Busti, iam dolor anxius
 Omni ex parte premebat:
 Expes tum prece supplice
 Oraui Dominum, Pater,
 Quælo, inquam, miserabili
 Saltem consule uitæ.
 O iustum Dominum & bonum,
 Et pronum ueniæ: auxili
 Is me & consilij indigum
 Sæuo textit ab hoste.

Ergo